

Petrum: facta est ergo promissio consensui conspirantium cum Petro. Quaestio autem restat quomodo Petrus consulere debeat eorum unitati, et quaenam efficacia ipsi competat erga hunc consensum. Id porro discimus ex aliis Christi verbis, iis nempe quibus Petrus, eiusque quilibet successor et Petra fidei Ecclesiae et Confirmator fratrum et Pastor ovium constituitur.

Et sane non video quomodo tuto liceat ex his testimoniis Scripturae inferre hanc Episcoporum infallibilitatem. Nonne pariter sicut omnibus Apostolis simul sumptis promissa est infallibilitas, promissa quoque est et collata iurisdictio? Ergone decretum disciplinare editum ab omnibus Episcopis citra consensum Pontificis vim haberet obligandi Ecclesiam? non puto salva auctoritate Primatus. Igitur quaenam est necessitas ut cum de magisterio agitur verba Christi dicta ad omnes Apostolos ita accipiantur ut valeant pro successoribus Apostolorum etiam independentem ab exercitio auctoritatis successoris Petri?

Nonne, instabis, Spiritus S. ex aequo assistit omnibus cohaerentibus in unitate, eaque assistentia, qua consensus ipsorum redditur immunis ab errore? Porro si haec immunitas referenda est immediate in Spiritum S. eis assistentem, consensus ipse Pastorum etiam citra magisterium Petri erit infallibilis.

Respondeo. Distinximus superius assistentiam duplicem specialem et specialissimam. Ea est qua Spiritus S. ita regit magisterium inferiorum doctorum ut subordinetur magisterio supremo, illudque ii velint docere quod eidem conforme sit, et sic consensus eorum existat cum Romano Pontifice docente. Altera est, cuius terminus necessarius est infallibilitas immediata docentis, cui Spiritus S. assistit. Iam vero si assistentia haec specialissima competeret non solum Romano Pontifici sed ex aequo ceteris Pastoribus eius communione fruentibus, ita ut per illam immediate eorum consensus immunis servaretur ab errore; dicendum esset consensum Pastorum etiam sine magisterio Romano esse infallibilem, supremamque normam credendi. Verum non ita res est concipienda. Assistentia quidem specialis Spiritus S. se porrigit immediate ad omnes, sed assistentia specialissima attingit immediate Romanum Pontificem, assistentia specialis immediate ceteros, eosdemque mediate assistentia specialissima. Illi enim soli competit immediate assistentia ea, cuius necessarius terminus est infallibilitas docentis, quo non docente nullum est magisterium infallibile, quo vel solo docente existit magisterium infallibile. Ergo soli Romano Pontifici huiusmodi assistentia immediate competit. Huc porro redit sententia catholica: concilia oecumenica, non confirmata a Romano Pontifice, errare posse; confirmata vero

non posse. Si enim ita res se habet, necesse est dicere magisterium totius concilii, deficiente magisterio Romani Pontificis, non frui saltem immediate assistentia ea specialissima, eadem vero frui immediate solum magisterium Romani Pontificis, quo accedente, sententia ab eo probata infallibilis habetur. Quare assistentia, qua immediate regitur Pastorum ceterorum coetus, ea est, quae eorum convenit conditioni, quatenus nimirum sunt inferiores doctores, illa scilicet assistentia, quam diximus specialem. Mediate vero propter consensum cum doctrina infallibilis magistri, sicut sententia Romani Pontificis evadit sententia una totius coetus, ita et infallibilitas propria illius sententiae universo consensui participatur: « Magnum et mirabile (ait Leo Serm. IV.) huic viro (Petro) consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit... In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur ».

Itaque, ut dicta in summam contrahamus, doctrina haec redit 1<sup>o</sup> ad ea quae ex analysi testimonium Scripturae collegimus. Id enim postulat a) *ratio Petrae*, coetus enim universus Pastorum spectat ad aedificium: hoc porro non est ex sese firmum, sed firmum fit per Petram: Petra autem Ecclesiae firmam facit Ecclesiam sibi innixam ἐνεργητικῶς, Petra est enim ratione auctoritatis, quae activa est et ad agendum ordinata: firmitas ergo Ecclesiae ab auctoritate Petri se exercente dependet: cum igitur Petrus sit Petra fidei, et firmitas fidei sit infallibilitas, haec immediate reperitur in Petra docente, quae firma ex sese est eaque sola: mediate in aedificio ideoque in coetu ceterorum Pastorum, qui ad aedificium spectant. Id postulat b) *dignitas Confirmatoris*. Si enim fides non solum singulorum sed et coetus totius fratrum confirmatione indiget, non est ex se firma, ideoque infallibilis; firma vero et infallibilis ex sese est fides confirmatoris. Id c) postulat *dignitas Pastoris universalis*, erga quem ceteri etiam Episcopi simul quoque sumpti sunt oves pascendae. Qui enim doctrina pascendus est, ipse per se errare potest, et eatenus infallibilitas ei promittitur quatenus Pastorem suum sequitur. Ergo subiectum infallibilitatis non est duplex, sed unum, a quo ceteris quoque ea communicatur.

Aliis verbis: si id neges, oportet ut neges quoque vim argumentationis qua ex his testimoniis demonstratur Primatus Papae, vel alium conceptum tibi effingas Primatus eiusdem. Cuiusmodi est enim iste Confirmator fratrum, si fratres sint firmi citra exercitium muneris confirmatoris? et quodnam est hoc exercitium nisi magisterium?

nonne το confirmare sonat activitatem et actum? Idem dicas de Pastore. Pastor est ille qui pascit, cuius ductum oves sequuntur; et si doctrina quoque pascere debet, pastor est cuius actuale magisterium oves audire atque sequi debent. Nonne et Episcopi simul sumpti sunt oves Petri? ac qua ratione sequi tenetur ductum Pastoris ille, qui quin Pastorem audiat est infallibilis? Idem valet in Petra. Petrus est Petra Ecclesiae, et Petra fidei Ecclesiae, at non Petra iners, sed efficax, Petra est enim propter auctoritatem, auctoritatem scilicet clavium, quae actiosa est, et propter actum data est. Cum ergo Primatus potestas data sit propter actum, et in ipso actu sive exercitio eiusdem salva debeat esse dignitas Primatus; oportet ut qui oves sunt cum docent aut pascunt a magisterio illius dependeant qui est eorum Pastor, Confirmator, Petra.

Id 2<sup>o</sup> tenendum est si vere nolumus esse gallicani. Doctrina enim gallicana, ut iam ab initio huius quaestionis monuimus, non in eo est tantum quod negat Papae infallibilitatem, imo id est consequens alterius sententiae capitalis, quod nimirum suprema auctoritas Ecclesiae sit per se penes universitatem coetus Pastorum, coetus non quidem seiuncti a Romano Pontifice sed ei adhaerentis; ex qua consequitur quod in synodis oecumenicis, quas utique R. P. convocare, et quibus praesidere debet, auctoritas suprema sit penes universitatem, et idcirco sint ferendae sententiae ex pluralitate suffragiorum: quibus sententiis subesse debet ipse Pontifex, licet suffragio suo eas antea non firmaverit: quia vero infallibilis magisterii praerogativa non est nisi penes supremam auctoritatem, et haec non est duplex in Ecclesia, sed una; hinc tandem consequitur quod tantum universitas Pastorum una legitime cohaerentium, non solus primus Pastor sit infallibilis. Iam vero ex his tribus principiis, primo: suprema auctoritas est penes universitatem coetus Pastorum; altero: soli supremae auctoritati competit magisterii infallibilis praerogativa; tertio: una est suprema auctoritas in Ecclesia; duo posteriora certa sunt: ut igitur illa consequentia negetur, oportet negare primum, atque ita negare ut utrumque ex posterioribus sit in tuto. Id porro fieri nequit nisi asseras penes Pontificem esse per se infallibilis magisterii praerogativam, penes ceteros per illum: secus enim vel duas ponis in Ecclesia suprema auctoritates, vel infallibilis magisterii praerogativam alteri asseris quam supremae auctoritati.

Obiicere tamen licet ex infallibilitate propria singulorum Apostolorum hoc pacto contra hoc argumentum. Potuit simul cum magisterio proprio Petri consistere infallibilitas aliorum, h. e. vigente Primatu Petri potuit multiplex esse subiectum infallibilitatis; ergo oeconomia a Christo instituta circa Primatum Petri non prohibet

quominus cum Romano Pontifice infallibili sint alii quoque ex se infallibiles; sive ex praerogativa Petrae, Pastoris universalis, Confirmatoris nequit concludi solum Rom. Pontificem esse ex se infallibilem.

Pro responsione advertit 1<sup>o</sup> quod natura et vis Primatus Petri colligenda est ex verbis Christi acceptis in suo proprio sensu ac adaequato. Advertit 2<sup>o</sup> quod si infallibilitas singulorum Apostolorum, sicut et eorum iurisdictio, fuit extraordinaria, desitura cum ipsis, rite intelligitur institutio Primatus plena et perfecta, qualis a Christi verbis exhibetur; huic enim institutioni quae per se est universalis h. e. pro omnibus et perpetua, non officit quod per extraordinarium privilegium aliquo brevi tempore aliqui existant qui non indigeant iis omnibus praesidiis pro quibus conferendis institutus est Primatus. Nam forma regiminis propria societatis est ea quae est ordinaria; haec autem continetur ea potestate sociali quae ordinaria est non extraordinaria. Si ergo sola auctoritas apostolica Petri ordinaria fuit, etiam aetate apostolica exstitit eadem forma regiminis Ecclesiae, quae post illam aetatem, idemque Primatus Petri. At si 3) eae praerogativae Apostolorum singulorum fuissent ordinariae, et sic futurae fuissent perpetuae, tum profecto alia censenda est futura fuisse forma regiminis Ecclesiae ac nunc est et semper exstitit; in ea enim hypothese reapse auctoritas suprema fuisset divisa in plures, nec unum esset caput Ecclesiae, sed plura forent capita. Idcirco in tali hypothese Primatus a Christo institutus evasisset secundum suam plenitudinem in Petro suisque successoribus inutilis imo impossibilis. Neque enim tunc fuisset aut potuisset esse opus pro omnibus ovibus illa confirmatione aut firmitate fidei profecta a Petro quam verba Christi in suo proprio sensu et adaequato accepta prae se ferunt. Quocirca 4<sup>o</sup> colligimus etiam ex institutione Primatus quod ea privilegia Apostolica non nisi temporaria esse debebant.

Itaque ad argumentum *distingui*mus antecedens: vixit Primatus Petri simul cum illis praerogativis Apostolicis extraordinariis, *con.* vixisset et vigeret si fuissent ordinariae et perpetuae, *subd.* ex aliqua parte, *trans.* secundum suam plenitudinem, quam Christi verba exigunt, *neg.*

Idem tandem, si penitus inspiciantur, postulant argumenta ex universa traditione petita. Cur enim causae fidei deferendae sunt ad Sedem Apostolicam, suoque debent iudicio definiri? Si in unitate coetus Pastorum communicantium cum Romano Pontifice, etiam citra eius magisterium haberi posset consensus infallibilis, perperam ea necessitas assereretur: quod enim necessarium est hoc unum est, ut scilicet sententia infallibilis intercedat ad finiendas lites. Ergo omnis infallibilitas totius coetus derivari dicenda est ei a Pontifice, quatenus

sententia eius ex se infallibilis evadit communis universo coetui. Item cur Romani Pontifices praescripserunt Synodis oecumenicis regulam fidei, iusseruntque secundum eam iudicari, professique sunt Patres universi velle se sequi et debere Apostolicae Sedis doctrinam ne a veritate deviant? Id enim perinde est ac dicere infallibilitatem non esse per se in universitate coetus, sed esse per se in Capite et ab eo derivari in membra cohaerentia sibi.

In promptu est quaedam singularis difficultas. Ex Bulla Martini V: « *Inter cunctas constat credendum esse quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor b. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei* ». Est ergo veritas credenda tanquam factum dogmaticum quod hic, et hic canonice electus sit successor Petri in Primatu. Id porro credendum est statim ac electio canonica innotescit: « Ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur qui a duabus partibus (Cardinalium) electus fuerit » c. 6. *De electione et electi potestate*. Iam vero quis id credendum infallibiliter proponit? Non quidem Pontifex electus; nam ei credendum non est nisi constet ipsum esse successorem Petri: dicendum est ergo id ab Episcopis proponi; ideoque in hoc saltem doctores esse infallibiles ex se sine magisterio Romani Pontificis.

Antequam respondeo, adverte credendum quidem esse quod hic canonice electus sit successor Petri obtinens Primatum in universa Ecclesia; non vero imponi obligationem credendi quod hic sit canonice electus. Nec refert quod forte electio non fuerit canonica; sufficit enim quod talis secundum prudentem existimationem videatur. Hoc posito factum istud, quod hic canonice electus h. e. secundum normam ab Apostolica Sede statutam (Th. XIV. schol.) sit successor Petri, creditur tum vi illius fidei qua creditur perennitas Primatus, tum vi decreti Pontificis statuentis eum qui ita electus sit, habendum esse ut successorem Petri. Quod quidem decretum a Pontifice latum ad modum legis obligat etiam post mortem legislatoris. His vero positis constat factum istud h. e. hunc esse verum Pontificem, nexum esse cum dogmate, ideoque credendum. Quocirca si quaeras magistrum proponentem hoc factum credendum, ipse est Romanus Pontifex qui ius habet statuendi normam electionis successorum, quique iubet eum haberi ut successorem Petri qui sit canonice electus.

Episcopis vero nullam in hac re partem esse liquet vel ex ea ratione quam Alexander III illi decreto addit in fine; rationem enim reddens cur aliquid speciale pro electione Pontificis statuatur, quod nempe tantum maior pars suffragiorum considerata sit non etiam

sanior, ideo hoc fieri ait quia quod in aliis Ecclesiis in dubium venerit, superioris poterit iudicio definiri: in Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non poterit ad superiorem recursus haberi. Atqui si Episcoporum esset docere quod hic sit successor Petri, ad eos reapse spectaret in electionem inquirere, eamque ratam habere et confirmare, ideoque superiores hac in re essent. At ipsi quoque, non secus ac alii, tenentur absque ulla exceptione eum habere ut Pontificem qui canonice electus est.

Ergo una est in Ecclesia infallibilis auctoritas quae est auctoritas Romani Pontificis, quae ipsius propria est, in eoque immediate, in ceteris participata et mediate existit.

Haec videtur esse doctrina Concilii Vaticani; ait enim *infallibilitatem qua definitiones Romani Pontificis pollent, esse eam qua Christus Ecclesiam suam instructam esse voluit*: non duplex ergo infallibilitas, sed una; infallibilitas nempe Ecclesiae est ea, quae per se et immediate in Pontifice residet, et per ipsum in alios derivatur.

Hactenus asserta in hac thesi, et quae consequenter ad haec in sequentibus identidem asseremus, ut iam monuimus ab initio, nolimus ita accipi ac si defendantur a nobis tanquam dogma fidei certum ac necessario credendum. Sed theologica methodo utentes haec ex principiis fidei collegimus vel censuimus colligenda esse; et idcirco ut theologicas veritates tuemur nobis quidem certas, sed quibus, ut fert nostra conditio, errorem subesse posse non diffitemur.

Quod si dicas nos nimis coarctare infallibilitatem Ecclesiae eam omnem revocantes ad infallibilitatem Rom. Pontificis; advertimus haud satis accuratam esse hanc rationem loquendi. Nam si finaliter infallibilitas spectetur, e contrario docemus eam sub hoc respectu prius Ecclesiae universae competere quam Pontifici, eamque esse veram infallibilitatem (praenot.). Si autem ipsa active spectetur, ita eam ad infallibilitatem Rom. Pontificis revocamus ut asseramus universum coetum Pastorum infallibilem esse ex assistentia Spiritus S., quae causa est infallibilitatis, ita tamen ut medium quo proxime Spiritus S. universo coetui assistit sit magisterium Pontificis. Illud scilicet de magisterio infallibili asserimus quod universim de auctoritate iurisdictionis affirmatur ab iis qui Primatum Rom. Pontificis qualis a Christo institutus est defendunt: qua in re logici esse nobis videmur.

Verum sponte heic se offert duplex specialis difficultas, non solum contra hanc Thesim, sed et contra praecedentem, adversus quam reapse haec sunt obiecta. Nam primo obstare dictis in hac et in praecedenti Thesi videtur canon Lirinensis qui regulam certam credendi repetit a consensione in universitate; deinde videtur ex dictis

imminui plusquam pars est Episcoporum dignitas, nec satis intelligi qualis sit auctoritas eorumdem in Concilio. Quae difficultates ut removeantur, duas insequentes statuimus Theses.

THESIS XXVI.

*Distinguere oportet inter supremum doctorem vel iudicem controversiarum fidei, et normam quam sequi debet ipse iudex in iudicando, quam quidem in sequendo ne erret, assistit Spiritus S. Haec duo vero confundunt qui ut probent auctoritatem supremam in rebus fidei definiendis esse penes universitatem, provocant ad canonem Lirinensis, ipsorumque Pontificum testificationem, qui in suis decretis fidei docent sequendam esse universitatem et consensionem in antiquitate. Porro ipsa universitas Patrum et Doctorum praecedentium verae fidei nobis certum testimonium reddit, quatenus Patres omnes et Doctores cum magisterio Cathedrae Apostolicae consentiebant et ab ipsa probati sunt.*

I. Sane revelatio ab initio tota facta est, completumque est depositum revelationis. Nihil ergo novi quoad rem ipsam expectandum est, sed sola explicatio obiectiva dogmatum, et profectus scientificus subiectivus. Magistri ergo qui succedentibus aetatibus existunt debent semper illud docere quod olim traditum est. Opus est igitur in functione huius magisterii habere semper prae oculis Verbum Dei tum scriptum tum traditum. Id quidem a decessoribus successoribus communicatur, non per infusionem quamdam, sed per magisterium quo docentur ii qui postea in locum magistrorum succedent. Fieri vero potest ut et quidam magistri vel ex ignorantia errent, vel ex malitia pervertant doctrinam, fierique potest ut in investiganda doctrina penes Scripturam et monumenta traditionis erretur; unde controversias in fide primum est oriri. Necesse est ergo ut existat supremus iudex et doctor qui errare non possit in apprehendenda doctrina divinitus scripta vel tradita et constanter propagata, atque in ea promulganda et proponenda fidelibus: cuius proinde iudicis doctorisque ministerio eadem semper doctrina ab initio tradita, iugiter conservetur et vigeat in Ecclesia. Oportet igitur ut errare is non possit in investigatione veritatis ab initio traditae, in eaque discernenda ab adulterinis doctrinis postea inductis. Huc autem spectat charisma infallibilitatis, quod non est in eo positum, ut per revelationem aut infusionem notitiae informetur mens docentis; sed in eo quod Spiritus S. ope sua Doctori ita assistat, ut ab errore hic existat immunis in investigatione veritatis prius traditae, et in propo-

nendo fidelibus credenda dogmata iam prius implicite saltem credita, depositoque traditionis consignata. Unde sollemnis definitio Ecclesiae vel universale eiusdem magisterium circa res revelatas eo pertinet ut infallibiliter doceantur fideles dogma aliquid esse divinitus revelatum, ideoque fide divina credendum. Cf. definitionem Immac. Concept. B. V. M. et infallibilitatis R. P. Idecirco veritatem credendam proponendamque fidelibus singuli supremi iudices ac doctores extrinsecus accipiunt a perpetua traditione, quae in Ecclesia viget; iuvantur autem assistentia Spiritus S. ne errent ipsi in apprehendenda et tradenda Ecclesiae ea doctrina.

His positis liquet 1) doctrinam contentam Scriptura ceterisque monumentis traditionis, haud esse per se solam sufficientem fidelibus ut certitudine infallibili assequantur veritates revelatas: 2) requiri iugiter viventem doctorem et iudicem supremum (qui est Romanus Pontifex, et cum ipso coetus Pastorum) qui infallibiliter fideles doceat quid sit revelatum, fideique quaestiones finiat: 3) magisterii huius normam esse traditionem antiquam et universalem Ecclesiae, docere enim debet quod traditum est; 4) opus vero ei esse assistentia Spiritus S. ne, sicut aliis contingere potest et solet, erret in proponenda fidelibus doctrina revelata credenda. Quare patet distinguendum esse inter supremum doctorem iudicemque, atque normam secundum quam docet et iudicat.

II. Iam vero haec duo confunduntur ab iis, quos modo oportet impugnare. Aiunt enim supremam auctoritatem docendi, auctore Vincentio Lirinensi, in universitate reperiri. Cur vero? quia, eodem docente (Comm. nn. 3, 4, 38, 41), tenendum est quod ubique quod semper, quod ab omnibus creditum est: quod quidem, ait, ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Porro, subdunt, idem Vincentius mentionem non facit magisterii Romani Pontificis, a quo petenda sit doctrina, et infallibilis notitia veritatis, facit autem Conciliorum.

Iam vero si haec doctrina per se spectetur, sequendam scilicet esse universitatem, seu credendum esse quod ab omnibus ubique tenetur, et si haec universitas nunc desit, sequendam esse consensionem antiquitatis, doctrina haec inquam per se spectata non suggerit nisi normam quamdam quae praesto esse debet in decidendis quaestionibus fidei quatenus proponit quosdam obiectivos characteres verae traditionis quae certe sequenda est. Quam normam quidem omnes sequi debent, etiam concilia, auctore Lirinensi; sed quia fieri potest ut erret quis in investigatione huius normae, hinc ut peremptorie finiantur fidei quaestiones oportet esse doctorem aliquem aut iudicem infallibilem, qui nequeat scilicet errare in proponenda do-